

1527

*Venetorum  
alter exerci-  
citus in In-  
subribus sub  
Dominico  
Contareno  
legato.*

*Classis Ve-  
netae Petro  
Lando Im-  
peratore.*

*Venetorum  
altera clas-  
sis in mari  
Tyrrheno.*

centis equitibus , duobusque millibus cataphractis ; cum Galli , qui sub Salassiorum Marchione militabant , licet ex foedere majori esse numero opportuisset , septem millia non excederent . Alterum vero in Insubribus sub Dominico Contareno legato , ac Joanne Fregoso gubernatore , quo res Francisci Sfortiae firmarentur , atque Antonio Levæ Cæsareanorum Duci obsisterent ; peditum decem millium , quingentorum cataphractorum , ac septingentorum leviorum equitum , cui nuper Sfortia cum tribus millibus & quingentis peditibus , ut supra diximus , accesserat . Classem præterea triremium , ac longarum navium in omnem maritimam expeditionem sub Imperatore Petro Lando , & duobus legatis habebat , qua & maritima ora tuenda , excurrenda maria , ac non exiguus triremium numerus Gallicæ classi in Tyrrheno mari jungendus erat . Ad hæc non parva militum manus ad urbes , atque oppida Flaminiae in fide retinenda missa fuerat , præter præsidiorum in urbibus incrementa , quæ in finibus imperii sitæ , majori militum numero , ut defendere se ab hoste possent , indigebant . His quanta pecuniæ vis exhaustiretur , quantum publicarum , ac privatuarum opum absumeretur , vix animo fingi potest ; ut qui superiorum temporum bella , & clades sibi ob oculos ponat , quibus Venetorum res undique jactatae fuerant , ac post foedera , pacemque consequutam in quos turbines , & procellas ab anno quingentesimo vigesimoprimo Respublica inciderit , usque ad stuporem miretur , necesse sit , potuisse tot exercitus alere , tot educere classes , terra , marique amplum imperium a potentissimis hostibus vendicare . Cujus rei duæ potissimum causæ fuere ; civium omnium erga Rempublicam caritas , qua pro patria libenter se periculis objecare , non sumptui , non vitæ parcere gloriosum ducebant ; & Senatus constantia , quem non ingentes hostium vires terrire , non adversi bellorum exitus frangere , non imminentium rerum metus retardare , non tot jactationum diurnitas defatigare potuerunt , quin invicto animi robore cuncta potius perferret , quam vel amicos desereret , vel de dignitate decadendum sibi existimaret .

Sed ad Clementem redeamus , quem jam consternatum animo , ac nihil non concessurum , ut pristinam libertatem con-  
se-